

— Brevis esse laboro

Obscurus fio.

Quam perstringit Quintilianus loc. cit. in hunc modum. *Alii brevitatis æmuli necessaria quoque orationi subtrahunt verba, & velut satis sit scire ipsos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego ociosum sermonem dixerim, quem auditor suò ingenio non intelligit.* Notavit hanc obscuritatis causam in scriptis Thucydidis Cicero in Brutò, cui adjungi possunt è Latinis Tacitus, & Persius. Altera & quidem priori contraria est Periodorum *Longitudo*. Unde idem Quintilianus, locò jam sæpius laudatò de *obscuritate in contextu & continuatione sermonis* loquens, ait: *Nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit inventio: nec trajectione tam tardus, ut in Hyperbaton finis ejus differatur.* Atque huc etiam videtur pertinere illa multiloquentia, in quam idem eòdem locò invehitur hunc in modum. *Est etiam in quibusdam turba inanum verborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosâ loquacitate, quæ dicere volunt: ipsam deinde illam seriem cum aliâ simili jungentes miscentesque, ultrà, quàm ullus spiritus durare possit, extendunt.* Tertia obscuritatis in Periodis causa est orationum, enunciationumque, quibus constant, *Connexio vel nulla, vel mala.* Quibusdam enim Scriptoribus in more positum est, Sententias multas accumulare; at nullis voculis, quibus conjungi solent, & quæ propterea à Grammaticis *Conjunctiones* appellantur, nec cum præcedentibus, nec inter se connectere. Alii verò illis quidem utuntur, sed perperam, & institutò alienis atque absõnis. Quarta est orationum *Confusio* & commixtio, quando scilicet naturalis earum ordo rumpitur atque perturbatur, & ὕστερον πρότερον fit. Illustre exemplum occurrit apud Virgilium 2. *Æneid.*

*Incipio super his: Juvenes fortissima frustra*

*Pectora, si vobis audentem extrema cupido*

*Certa sequi: quæ sit rebus fortuna videtis.*

*Excessere omnes adytis arisque relictis,*

*Dii, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi*

*Incensæ: moriamur, & in media arma ruamus.*

Quorum versuum talem facit ordinem Servius in hunc locum. *Juvenes fortissima pectora, frustra succurritis urbi incensæ; quia excessere omnes Dii. Unde si vobis cupido certa est me sequi audentem extrema; moriamur & in media arma ruamus.* Quinta est tacita *Prosopopœia*, aut *Dialogus*, quando videlicet aut unus sermonem faciens, aut plures inter se conferentes non expressè, sed tectè introducuntur. Prioris exemplum est in illò Juvenalis Satyr. 6.

*Quadringenta tibi siquis Deus, aut similis Diis,*

*Et melior fatis donaret, homuncio, quantus*

*Ex nihilò fieres! quantus Virronis amicus!*

Da